

mane substantia et ad amicorum contradicitur, quam ea intentione atque consilio Eugenio papæ in hoc tractatu proposuimus, ut ejus in hac vel tenenda vel non tenenda judicium teneremus, quanquam Romanos pontifices antiquos in eadem sententia nobis consentaneos haberemus, coacti sumus totum nunc offerre lectori pensandum, quod tunc obtulimus Romano pontifici dijudicandum, ut, quia ille gratum et ratum habuit, quod in hoc tractatu a nobis affirmatur, omne os obstruantur contraria docentium, et roboretur fides hominum hominem in Deo glorificantium, imo a Patre summo summe glorificatum venerantium, et adoratione, qua solus Deus est adorandus, adorantium, etc. Ex quibus liquet, Gerhohum cum tot pontificibus Romanis, ejus doctrinam, licet privatim duntaxat collaudantibus et approbauitibus, a catholica veritate aut declinasse nunquam, aut certe declinasse sine culpa.

Sed de vita et scriptis Gerholi jam satis. Tum nunc erit, reverendissime, per illustris ac amplissime præsul, me cum eodem ad gratiosum sinum tuum benigne admittere, ac, si qua alia Gerhobiana adhuc possides, iis meum *Thesaurum* locupletare. Quod cum clementer feceris, non solum me, sed totam rem publicam litterariam tibi quam maxime obstrictam ac devinctam habebis. Interea Deus ter Opt. Max. tum religiosissimum regimen omnigenis bonis et commodis sospitet ac fortunet!

NOTITIA EX FABRICIO.

(*Bibliotheca med. et inf. Lat.*, tom. IV, pag. 47.)

Gerhonus, Gerulus, Gerochus, ordinis Canonico-rum Regularium S. Augustini, præpositus Reicher-spergensis in Bajoaria ab anno 1132 ad 1169. De ejus vita et laudibus multa in Chronicō monasterii Reicherspergensis, pag. 226 seq., quod in anno 1194 desinens, ex Christophori Gewoldi editione Monachiensi 1611, 4°, recudi nuper curavit illus-tris Joannes Petrus Ludewig, tomo II scriptorum de rebus Bambergensibus, Lipsiae 1718, in-fol. In illo Chronicō de scriptis Gerholi pag. 237 (304) hoc legitur testimonium: *Quomodo vel qualiter, aut quantum dilexerit omnem justitiam et omnem riam ini-quitatis odio habuerit, legentibus et scire volenti-bus, patet in diversis opusculis suis, quae scripsit ad papam Innocentium et ad papam Eugenium et ad dominos cardinales, et in aliis opusculis ad diversos scriptis. Similiter et in epistolis suis patet, quas ad diversos diversis temporibus scripsit, quae etiam sere omnes adhuc inveniuntur in registro et epistolario suo libro in duobus voluminibus. Pro defensione quo-que sententia De gloria hominis in Deum assumpti et in Deum nati, in qua diversos et graves contradic-tores atque impugnatores semper per omnem vitam suam a juventute habuit, scripsit diversa opuscula et epistolas. Primum hac de causa, auctoritate Ro-manorum pontificum et dominoru[m] cardinalium, et aliorum plurimorum Patrum, qui videbantur colunæ esse in Ecclesia eo tempore, fecit exposicio-nem Psalmorum in octo voluminibus, scripsit et opu-scum contra discipulos Petri Abailardi ad episco-pum Frisingensem Ottонem, fratrem regis Chuan-radi, et ad ipsos Frisingenses diversa opuscula et scripta. Item plurima scripta ad episcopum Pragen-senm Danielem, libellum de fide rogatu domini Hen-*

Arici cardinalis presbyteri. *Opusculum ad papam Adrianum (VI.) Dialogum inter Græcos et Latinos. Libellum De glorificatione Filii hominis ad archiepi-scopum Saltzburgensem Eberhardum. Novissime opuscula ad papam Alexandrum (III) et ad dominos cardinales, et ad episcopum Babenbergensem Eber-hardum de eadem re. Præterea alia multa ad diversos scriptis, quos omnes commemorare longum esset. Ex his edita hujus Gerholi exstant:*

Liber *De gloria et honore Filii hominis, sive De glorificatione naturæ humanae in Christo*, ad Hermannum, episcopum Brixensem, in Bernhardi Pezii tomo I Anecdotorum, parte II, pag. 164-280. In hoc libro suorum in *Psalmos*, Commentariorum memini-t, pag. 163-331, et libelli *De novitatibus sui tem-poris*, pag. 169, nec non opusculi *De fide* in illud: *Mulierem fortem quis inveniet?* pag. 170, et opusculi ad papam Adrianum IV, pag. 256.

Liber *contra duas hæreses Nestorianorum*, et ex-communicatos presbyteros eorumque sacramenta admittentium, ad Godesfridum, abbatem Admontensem, pag. 283-314. Huic libro inserta, pag. 297, epistola *Hugonis Radingensis*, instituens prola-re, sacramenta presbyterorum depositorum nulla esse.

Epistola ad *Eberhardum, episcopum Babenbergensem*, quomodo secundum *Hilarium* glorificatus Filius Pater sit major. Ibid. pag. 317-326. In codice (2) Heilsbrunnensi scriptor hujus epistolæ vocatur *Gerhardus de Richensberge*.

Epistola quatuor, pag. 329-334. In quibus me-morat scriptum suum de *Quæstionibus Græcorum et Latinorum*, pag. 330.

Syntagma de Henrico IV et V, imperatoribus,

et Gregorio VII, nonnullisque insecuris pontificibus Romanis, vulgatum a Jacobo Gretsero Ingolstadii 1611, in-4°, et recusum in tomo sexto Gretseri operum.

Vitæ abbatum Formbacensium, Berengeri et Wirtonis, ordinis Benedictini, in laudati Pezii Anecdotois tomo I, parte iii, pag. 399-420.

Liber *De aedificio Dei*, seu *De studio et cura disciplinæ ecclesiasticæ, fide et officio, ac diligentia episcoporum, et aliorum clericorum, quorum conditionem non inferiorem vita monachorum esse docet*, id. tom. II, parte ii, pag. 225-436, ad Chunonem Ratisponensem episcopum, et illo defuncto ad presbyterum (Arnonem).

Liber epistolaris *ad Innocentium II pontificem maximum, De eo quid distet inter clericos sacerulares et regulares*. Ibid., pag. 439-504.

Expositio *in psalmum LXIV (LXV) sive liber De corrupto Ecclesiæ statu ad Eugenium III papam, in Baluzii Miscellaneis t. II, nov. edit., pag. 197-235, præmissa post Eugenii obitum epistola ad Henricum, presbyterum cardinalem, subiunctisque pag. 236 Eugenii litteris Gerhohi scriptum approbantibus : quo multa scitu dignissima contineri Baluzius adnotavit. Inter alia non laudat Gerhohus, quod pro Ecclesia Romana copisset curia Romana nomen frequentari.*

Tractatus *adversus Simoniacos*, capite mutilus, in

A Edmundi Martene tomo V Thesauri Anecdotorum, pag. 1459-1496.

In opere *De investigatione Antichristi* Gerhohum Folmari Nestorianisnum oppugnasse notat Stevartius, proprius ipsum *ad Putheristarum ubiquitatem accessisse conquestus*. Vide tom. XXVI Bibliotheca Patrum Lugdunensis, p. 240, et in *Folmario*.

Contra Gerhohum hunc rigidiorem insectatorem clericorum sacerularium, habitus A. 1130. Conventus Ratisbonensis, quo Marcus Hansitzius tom. II, Germaniae sacræ p. 228. Non omittenda hic est epistola Eberhardi Bambergensis episcopi ad Eberhardum Salzburgensem archiepiscopum adversus Gerhohum scripta, quod docuerit, *divinitatem in sacramento altaris a sumentibus vocari, ac Christum qua hominem Patri æqualem esse*.

B Tum et alteram ejusdem Eberhardi ad Salzburgenses præpositos, quibus scripta sua adversus Gerhohum discutienda transmittit. Item alia ejusdem epistola ad anonymum, qua expendit sententiam Gerhohi de gloria Filii hominis. Tres hasce epistolæ evulgavit P. Pez in Cod. diplomatico, pag. 444, etc. Sunt ibi præterea epistole quædam Gerhohi hic nequaquam indicate a Fabricio, quarum prior est ad abbatem Vindbergensem, narrans quid gestum sit in sua cum Bernardo Bambergensi disputatione. Tota collectio epistolis constat 24 quæ fere omnes Gerhohum auctorem habent, quædam vero ad eundem Gerhohum scriptæ sunt.

GERHOHI VITA.

(Ex Reicherspergensi Chronico excerpit Gretserus Opp. tom. VI, pag. 238.)

Anno 1132 magister Gerhohus suscepit præpositoriam Reicherspergensis loci a Chunrado Salzburgensis Ecclesiæ archiepiscopo. Dominus Goteschaleus ejusdem loci præpositorus sponte in manum ejusdem episcopi ipsam præpositoriam resignaverat.

Anno 1169 obiit sanctæ memorie magister Gerhohus in senectute bona v Kalendar. Julii, postquam strenue et fideliter præfuisset coenobio Reicherspergensi paulo minus quam XXXVIII annis. Qui quoniama in modico fideli inventus est, fideliter talentum sibi a Domino creditum erogando, super multa constitutus, non dubitatur jam ingressus in gaudium Domini sui, expletis annis vita sue LXXVI, indict. II, et sacerdotii sui XLIII.

Pueritia Gerhohi et patria. — Hic prædicandus Pater ab ipso puerili ævo secutus Dominum memoratur. Cum enim ex placito parentum litteris descendis applicatus fuisset in domo paterna seu patria, quæ Pollinga dicebatur, omnes coevulos suos vivacitate ingenioli ac tenacitate memorie visus est transcendere; cum tamen alias in his quæ a pueris in pueritia geri solent, cæteris simplicior ac doli incapacior inveniretur. Inde et lineaem sui generis factis et dictis suo in tempore extulit, bibens jam in pueritia quod ructuavit postea. Illic cum XVI esset annorum, percussusque esset plaga et dolore importabili, pueri Joseph initiator est fa-

C ctus, pudore bono repletus. Nam sanatus ab eadem infirmitate, ad propositum castitatis mentem aptavit totusque ex tunc scholasticis exercitamentis inservit in civitate Frisinga simul et Moseburg.

Gerhohus fit Magister scholarum Augustæ, postmodum canonicus Augustanus. — Postea factus jam adolescens, ac satis honeste instructus, in Saxoniā, in locum qui dicitur Hildensheim, ad scholas iter convertit; ubi consummatis in studio tribus annis, in patriam remeavit. Eo tempore in civitate Augusta scholæ principales magistro vacabant. Igitur ad illud officium advocatus et assumptus est, malas jam habens mediocri barba suffusas, vultu decorus, et sicut in omni vita fuit, moribus compositus; unde et ab omnibus amabatur, maxime autem ejusdem Ecclesiæ episcopo, nomine Hermanno, gratius erat et valde acceptus: propter quod et eum canonicum ejusdem Ecclesiæ cum unanimi fratribus assensu instituit.

Gerhohus recedit a communione episcopi schismatici. — Erat illo tempore magna discordia inter regnum et sacerdotium sub Heinrico juniore imperatore V. Qua sedata tandem per gratiam Dei, et pace Ecclesiæ redita sub papa Calixto, ipse magister Gerhohus interea dum haec actitarentur, non vacabat; quin potius, stante adhuc discordia illa, incipiebat jam audere obsistere adversariis legis Dei, subtraheqd' se nimisrum a communione episcopi